morum methodus, omnem illam priſtinæ Matheſeos in calculo difficultatem (quæ alioqui generoſam tuam indolem offendere poſſet) penitus è medio tollat: & ad ſublevandam memoriæ imbecillitatem ita ſe accommodet, ut illius adminiculo facile ſit, plures quæſtiones mathematicas unius horæ ſpatio, quàm priſtinâ & communiter receptâ formâ ſinuum, tangentium, & ſecantium, vel integro die abſolvere. Ideoque tuæ Celſitudini tantò gratius hoc inventum fore ſperamus, quantò facilem magis & expeditam reddit Logiſticam: quid enim jucundius, & in omni diſciplinarum genere præſtantius eſſe poſſit, quàm præclara quæque & ſublimia, exactè, ex tempore, facili negotio, nulloque vel temporis vel laboris diſpendio expedire? Rogamus igitur (ſereniſſime Princeps) ut munuſculum hoc, licet exiguum, & longe infra meritorum & dignitatis tuæ faſtigium, certiſſimi tamen obſequii pignus & ſymbolum, pro humanitate tua boni conſulas. Quod ſi te feciſſe intellexero, vel hac ſola ratione animos mihi jam morbis penè confecto addideris, ad alia propedièm, his fortaſſe majora & tanto principe magè digna moliendum. Interim illuſtriſſimos tuos parentes magna magnæ BRITANNIÆ *luminaria, teque præclarum tam præclaræ ſtirpis ramum, & futuræ noſtræ tranquillitatis ſpem, diu nobis incolumes ſervet & protegat ſummus ille Rex Regum, & Dominus dominantium, cui omnis honor & gloria in æternum tribuatur.*

Sereniſſimæ tuæ Celſitudinis obſe-
quio addictiſſimus

IOANNES NEPERVS.

IN MIRIFICVM
Logarithmorum Canonem
Præfatio.

QVum nihil ſit (chariſſimi mathematum cultores) mathematicæ praxi tam moleſtum, quodq; Logiſtas magis remoretur, ac retardet, quàm magnorum numerorũ multiplicationes, partitiones, quadratęque ac cubicę extractiones, quæ pręter prolixitatis tędium, lubricis etiam erroribus plurimùm ſunt obnoxię: Cœpi igitur animo revolvere, quâ arte certâ & expeditâ, poſſem dicta impedimenta amoliri. Multis ſubinde in hunc finem perpenſis, nonnulla tandem inveni pręclara compendia, alibi fortaſſe tractanda: verùm inter omnia nullum hoc utilius, quod unà cum multiplicationibus, partitionibus, & radicum extractionibus arduis & prolixis, ipſos etiam numeros multiplicandos, dividendos, & in radices reſolvendos ab opere rejicit, & eorum loco alios ſubſtituit numeros, qui illorum munere fungantur per ſolas additiones, ſubſtractiones, bipartitiones, & tripartitiones. Quod quidem arcanum, cùm (ut cętera bona) ſit, quo communius, eo melius: in publicum mathematicorum uſum propalare libuit. Eo itaque liberè fruamini (matheſeos ſtudioſi) & quâ à me profectum eſt benevolentiâ, accipite. Valete.